Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1591

Quelle:
Copyright:

(Weinsberg?) *vnus Johannes alius Ieuinus appellatur moram trahentes zum Hoſtein prope egram in dyoceſi P. V. tanquam ſeminatores cuiusdam noue ac ſtultiſſime ſecte que ad exterminacionem tocius ſtatus eccleſiaſtici exceptis quatuor ordinibus mendicancium tendit. Tenent enim cum complicibus ſuis quorum hinc inde numerus eſſe dicitur, quod natus ſit de muliere amicta ſole, de qua in Apocal. dicitur, filius qui ſit et dicatur vnctus ſaluator qui tercium et finale teſtamentum introducere debeat, qui ſit ille paſtor, de quo in ewangelio chriſtus dixit, erit vnus paſtor et vnum ouile, per quem omnes credentes in eum debeant illuminari ſpirituali et interiori luce ad cognoſcendam ſanctam trinitatem ſicuti in ſe eſt. Et quod papa ſit antichriſtus et omnes prelati* &c. Eſſe ex iis, qui ſe dicat *Johannem de Oriente* tanquam Praecurſorem, componi et ſpargi ab eis libros, in confeſſione putare ſibi licitum mentiri, ideo difficulter detegi, &c. Subjuncti ſunt Epiſtolae *Articuli* non minus deliri, quorum primus: *Quod tercia perſona ſpiritus ſancti non ſit ſecundum eſſe, ſed ſecundum dici.*

XV. *fol.* 193. p. 2. *Eiſtoldi de melodia* dicti *Aſtronomi de collegio pariſienſi* Vaticinium: *quod in anno gracie videlicet 1469. in die menſis Januarij incipiet mundi euacuacio cleri deciſio chriſtianitatis depoſicio potentum ſcilicet Imperatorum et regum expiacio* et quae ſunt ejusmodi inſana.

XVI. *fol.* 194. Sententia Excommunicationis lata in *Georgium* ſeu *Girſicum de Podiebrad* Regem *Bohemiae* autoritate *Pauli* II. Pont. per *Rudolphum Ep. Lauantinum* ejus *ad almanie et regni bohemie partes legatum.* Terrificis formulis ſcatens incipit: *Cum notorium ſit adeo ut nulla tergiuerſacione celari poſſit dictum Georium ſiue Girſicum de emendacione ſua uel reditu ad gremium ſancte matris eccleſie nusquam ſed de ſupplantacione fidelium continuo cogitare* &c. Et tamen *Cochlaeus Hiſt. Huſſit. L.* XII. magnam Regis moderationem erga Romanae Sedi addictos praedicat, additque eum extremo morbo laborantem per affines ſuos Duces *Saxoniae Romae* egiſſe, ut Dirae reſcinderentur, quas ei jam *Pius* II. *ſi Andr. Victorello* in *addit. ad Ciaconium* fides, meditatus fuerat.

XVII. *fol.* 195. p. 2. Ritus imponendi Crucem Proficiſcentibus. Initium: *Si quis proficiſci deſiderat, crux ita imponitur. Primo benedicitur per hunc modum.* Itaque Preces, uti dein in ipſa Impoſitione.

CCCCXVIII.

Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 248. 4. a diverſis manibus, partim per duas columnas conſcriptus amplam continet Farraginem, quae hic percenſetur: I. *Epiſtola Andree doctoris Brode miſſa Magiſtro Johanni Hus inſulſa et falſa.* Ita 937

viſum